A D

SANCTISS. DOMINUM NOSTRUM

BENEDICTUM PP. XIV.

EPISTOLA.

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO PP. XIV.

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

LOcupletiſſimum Pontificiæ tuæ erga me clementiæ teſtimonium, ut primo conſpicuum ſe mihi prodidit in Literis Apoſtolicis, quibus, BEATISSIME PATER, novam methodum in examine, ac proſcriptione librorum a Sacra Indicis Congregatione ſervandam ſtatuiſti, haud dicere valeo quanto me pudore ſuffuderit. Qui enim fieri poſſe exiſtimaſſem, unam & alteram paginam, quas de eodem argumento, SANCTITATIS TUÆ juſſis parendo, exaraveram ſub ipſa præclariſſimi Tui Pontificatus primordia, tamdiu inter arcanas chartas tuas aſſervari promeruiſſe, dein hiſce diebus, dum de veteri deliberatione reſumenda cogitaſti, dignas ipſas haberi potuiſſe, quæ oculos tuos rurſus ſubirent, quæque eo honore afficerentur, quem earundem Literarum verba omnibus, quotquot ipſas vel in præſens vel in poſterum legerint, patefacient? Profecto paginas illas conſcribens optavi quam maxime, ut ratio aliqua per admirandam ſapientiam tuam iniretur, unde examen librorum

in

in ea Sacra Congregatione inſtituendum, proferendumque de ipſis judicium non omni tantum hominum conqueſtione vacaret, ſed inſuper eam ubique terrarum authoritatem obtineret, qua nulla major; attamen deſipere mihi ipſi viſus fuiſſem, ſi ſperaſſem SANCTITATEM TUAM iiſdem paginis eum favorem præbituram, ex quo in partem vocarer ſummæ illius laudis, quæ tuam de nova illa methodo Conſtitutionem maneret. Precibus itaque meis potius obſecundando, quam *conſiliis*, uti loquitur SANCTITAS TUA, *inhærendo* ſaluberrimas eas leges condidiſſe Eandem cenſebo, quibus caveatur, ne deinceps ulla ſubſit cauſa Romanas librorum proſcriptiones prava lingua faſcinandi, ſeu ob facile nimis admiſſam male ſeduli delatoris accuſationem, ſeu ob libri examen tetrico aut parum perito cenſori demandatum, ſeu ob cauſam Purpuratorum Patrum judicio ſubjectam, priuſquam rei, de qua agitur, ſat bene docti & inſtructi haberi poſſint. Hiſce omnibus damnis amoliendis providam ſummopere curam in tuis illis Litteris impendiſti, BEATISSIME PATER, at nihil mihi magis ſanctum quam animi Tui votum hiſce verbis declaratum: *Quod ſæpe alias ab eadem Congregatione factum fuiſſe conſtat, hoc etiam in poſterum ſervari magnopere optamus, ut, quando res ſit de Authore Catholico, aliqua nominis & meritorum fama illuſtri, ejuſque Opus demptis demendis in publicum prodeſſe poſſe dignoſcatur, vel Authorem ipſum ſuam cauſam tueri volentem audiat, vel unum*

unum ex Conſultoribus deſignet, qui ex officio *Operis patrocinium, defenſionemque ſuſcipiat.*

Sapientiſſimæ tuæ illæ ſanctiones adeo blande animum meum occuparunt, ut muneri Præfecti Congregationis Indicis ſatisfacere haudquaquam mihi videar, niſi capto conſilio, quod SANCTITATI TUÆ ſtatim explicabo. Veritus ego, ne diligentiæ genus illud, quod pro examine librorum recens præſcribitur, & præſertim ob multiplicanda eorundem, aut ſaltem Animadverſionum in ipſos exemplaria, ad Cardinales non paucos eidem Congregationi adſcriptos, inſuper ad aliquot ejuſdem Conſultores tranſmittenda, certum aliquem pecuniarium fundum depoſcat, quo prorſus modo caret ea Congregatio, ad ipſum de meo conſtituendum paratum me ſiſto. Jam propemodum ad finem perducta viſitur Eccleſia S. Alexii, cui reædificandæ exornandæque haud mediocres æris ſummas impendi; eo itaque abſolutus onere, quod ultro ſuſcepi Hieronymianorum Monachorum Protector a SANCTITATE VESTRA renunciatus, novum hoc æque libenter reciperem ex Præfecti munere, quo me pariter auxit SANCTITAS TUA. Vaco præterea a ſumptibus, quibus Ædem S. Marci ad eum nitorem redegi, quem Roma univerſa miratur; deſierunt pariter quotquot decorando S. Gregorii Templo in Monte Cœlio per plures annos dicavi; nec novis indiget Eccleſia S. Praxedis, cui perpetua ceſſione attribui & proventum, quem illa affert Cardinali ejus Tituli, & jus aſſignandi annuam dotem pauperculæ vir-

virgini ex Parochia eidem Eccleſiæ annexa. Tuam igitur Sanctitatem oro, ut iis omnibus expeditus de Sacra etiam Indicis Congregatione benemereri queam ea quam dixi ratione, opportunis ſcilicet ſolutionibus, unde fundus exſurgat Apoſtolica authoritate muniendus, ne in alios unquam uſus ejus fructus niſi pro impendiis ejuſdem Congregationis inſumantur. Meminit, ut certo credo, Sanctitas Tua, juſtam pecuniæ ſummam a me erogatam fuiſſe Vaticanæ Bibliothecæ, pro redimendis, Te benigne annuente, libris meis omnibus, quos per donationem inter vivos eidem Bibliothecæ largitus fueram; ornantque jam illi publicam Bibliothecam, quam a fundamentis erectam, aliiſque undique paratis voluminibus ditatam, dotatamque annuis redditibus, dum Brixia gloriatur ſe poſſidere, grata mente aſſidue recolit Sanctitatis Tuæ beneficentiam, quæ mihi compenſationem illam indulſit. Indulgentiæ tuæ pariter tribuam, ſi tuo favente nutu arrogare mihi valeam decus collati in Congregationem, cui præſum, beneficii, quo perenne fiat optimarum, quas ſanxiſti, legum emolumentum.

Unum ſupereſt, Beatissime Pater, ut qui minime aſpernatus es operam a me Tibi exhibitam in graviſſimo Romanæ Sedis negotio, cujuſmodi certe librorum proſcriptiones ejus authoritate promulgandæ, pro certo habeas, parem, non dicam *prudentiam, & doctrinam*, nam dotibus hiſce, quas mihi affinxit Sanctitatis Tuæ bonitas, omnino

ca-

careo, ſed candorem ac fidem præſtaturum me fore, quotieſcumque idoneum cenſeas, qui tuis paream imperiis. Novi quam arcto vinculo adigantur Cardinales ad ſubminiſtranda Romano Pontifici conſilia, novi præter veteres Doctores quid de eo vinculo ſcripſerit SANCTITAS TUA, & præſertim quo loco diſerte nos docuit, ingenuos illos & intrepidos Cardinalium conatus benefacta ab ipſiſmet Romanis Pontificibus ſæpius reportaſſe. Nullo tamen habito ad commoda mea reſpectu, ſpondeo SANCTITATI TUÆ id tantum cordi mihi futurum, ne in eo ipſo delinquam, quod maxime a Cardinalibus exigitur. Editio literarum Cardinalis Reginaldi Poli, cui ab aliquot annis incumbo, effecit, ut diu noctuque animo meo obverſentur nobiles & inclytæ quædam imagines, quibus vehementiſſime incendor ad eundem Cardinalem, alioſque integerrimos, præſtantiſſimoſque ejus Collegas, quos calamo celebravi, moribus etiam exprimendos, ſaltem quod ſpectat ad curandum pro viribus Catholicæ rei bonum, cui eoſdem ſe totos impendiſſe tot fere extant in ea Editione documenta quot literæ. Faxit Deus, ut ii virtutum ſtimuli, ea laudum ſemina & exempla in eodem animo meo firmiter permaneant, nec ulla ex rerum perturbatione elangueſcant, votique hujus cœlitus aſſequendi pignus & auſpicem mihi eſſe velim, BEATISSIME PATER, quam flexis genibus poſco, Apoſtolicam benedictionem.

Brixiæ die XIII. *Auguſti an.* MDCCLIII.

Aol 1467768